



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De homine constumeliose. cap. lxxxvi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A ENUIT Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Et nomen fratris eius Iubal: ipse fuit pater canentium cithara & organo. Sella quoque genuit Tubal-cain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino. *Gen. 5. 10.*

B Equestre certamen primus excogitauit Enylios Nephtuni filius. Idem autem equestre certamen curule Dipolis inuenit. Primus enim Ocnomus quadrigis huiusmodi certamen obiit. Iam verò Circi structura ad mundi, hoc est cœli, terræ ac maris, gubernationem dispensata est. Quippe duodecim portas, duodecim zodiaci orbis domos esse prodiderunt, qui terram & mare, ac fluxum humanæ vitæ cursum moderatur. Solum autem Circi, terram vniuersam esse. Euripum item, mare; cuius locus terra inferior est. Fossitiam porrò terram, quæ portas versus est, Orientem: eam autem quæ ad cuneum est, Occidentem. Septem verò spatia, motum & cursum esse septem stellarum, quibus magna vrsa constat. Rex autem Romulus in honorem ipse quoque Solis ac subiectorum ipsi quatuor elementorum primus quadrigarum, hoc est terræ, maris, æris & ignis, cursum inuenit, ac Romæ, hoc est in Italia, quæ ad Occasum sita est, celebravit. Atque his quatuor elementis hæc nomina imposuit, terræ nimirum viridem partem, mari, hoc est aquis cæruleam, igni rufæam, id est rubram, æri denique, ut candido, albi nomen indidit.

De homine contumelioso. CAP. LXXXVI.

C Os qui insolentia efferebantur, humiliavit. Omnem contumeliosum humiliavit. *Iob.*
D Malus cum contumelia facit mala. Contumeliosorum domos disturbat Dominus. Oculi contumeliosi lingua iniusta est. Quocunque introierit contumelia, illic etiam ignominia. Melior est vir clemens & placidus cum humilitate, quam qui diuidit spolia cum contumelia. *Pro. 16.*

Qui insolentia sublimes sunt, conterentur, & humiliabuntur. *Esa.*

D Quemadmodum vox in locis solitariis emissa, integra rursus ad loquentem reuertitur: Basil. sic etiam contumelia ad conuitiatorem redeunt. Vel, ut rectius loquar, vox quidem ipsa integra redditur: maledicentia autem cum fenore redit. *Simile.*
 Quicquid turpe atque inhonestum est, minimèque huic congruens qui probis operibus studere consuevit, contumelia est.

De abstemiis. CAP. LXXXVII.

E Mnes bibentes aquam, omnes dati sunt in mortem: & electa Libani omnia bibentia aqua, ipsi quoque descenderunt cum eo in infernū. *Ezech.*
 Modico vino utere propter stomachum tuū, & frequentes tuas infirmitates. *1. Tim. 5.*

Nemo ab aqua crapulam contraxit. Nullius unquam caput condoluit, aqua degravatum. Nemo alienis pedibus opus habuit, bibendæ aquæ assuescens. Nullius pedes tanquam vinculis quibusdam astricti sunt: nullius manus ad munus suum obeundum inutiles redite sunt. *Basil. de Ieun. orat. 1.*

Bibere vis? Scatet tibi aqua, perenne poculum, potio temulentie expers, lætitia vinea ignara. *Naz.*

De somno & vigilia. CAP. LXXXVIII.